



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Lvcæ Pinelli Societatis Iesv, Theologi, Exercitia  
Spiritualia Qvadragesima, De Sacrosancto Eucharistiæ  
Sacramento**

**Pinelli, Luca**

**Coloniae, 1608**

Christvs Spinis Coronatur. Ioan.19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59691)

## PUNCTA MEDITATIONIS.

I. **C**ONTEMPLARE quomodo  
Christus à colūna solut<sup>9</sup>, vestes suas  
humi sparsas collegerit, & vt aliquantulum  
respiraret ijs se vestiuerit. Sed ecce, milites  
denuo eum vestibus exuunt, vt nouo eum  
tormenti genere excrucient.

II. **C**ONSIDERA quomodo circum-  
dederint eum purpura, capiti coronam spi-  
neam imposuerint, manibus arundinem  
indiderint: quæ facti Regis insignia, IESVS  
verus Rex gloriæ suscipere non detrectauit,  
quamuis dolore pariter & confusione sum-  
ma permixta essent.

III. **A**SPICE quomodo milites genua  
coram eo flectentes eū irrideant, Regem Iu-  
daeorum salutent, in faciem eius spura fac-  
tissima congerant, & certatim alapis cer-  
dant: quæ omnia IESVS pro nobis tanquam  
cum humilitate & patientia sustinuit, vt os  
suum non aperuerit.

## DOCUMENTA.

I. **F**ili noli conueri & molestè ferre cum vna  
tribulatio alteram excipit, quia in DEI filio  
vnam



unum tormentum, alia statim grauiora secuta sunt.

2. Si in hac vita melius & delicatius Domino tuo tractari non vis, cur quereris quando aliqua tibi contumelia, aut afflictio euenit? Si contemni & sperni renuis, indicium das superbiae: quia pro Christo mollius haberi cupis.

3. Fili, Christum irrident qui Christianos se esse profitescentes, id est humiles & mansuetos, factis huic nomini non respondent.

### COLLOQVIVM.

Quid sibi vult, Domine, quod modò, cum abiectissimi illi satellites, corona pinea capiti tuo imposita, & arundine manui inserta, te ludibrio habent, non fugis: Et Iudæis tibi verū Iudajci regni sceptrum, & honorabilem coronam impertiri volentibus, fugam capessis? Quid est hoc? Rex fictitius esse non abnuis, & verus Rex esse detrectas? Voluisti humillime I E S V, doctrina & factis demonstrare te mundo huic vano & cæco aduersari. O anima mea non oscitanter atende ad vtilissimam hanc lectionem, quam I E S V S magister tuus opere tibi prælegit. Vide quanto opere fugiat honores & sublimitates, quas stultus hic mun-



mundus magna cum ambitione desiderat  
 & quarit. Aspice quanto cum affectu irrita-  
 ones & opprobria, quæ mundus tantopere  
 horret, complectatur. Horret autem, quia  
 quid crux mortificationis sit, quantoque  
 apud Deum in pretio habeatur, ignorat:  
 suis interim molestissimam vani honoris  
 crucem ferendam imponens, sub qua labo-  
 rantes, vitam simul & animam perdunt. Sa-  
 tis obone Iesv, intelligo quam vilis mi-  
 hi sit crux mortificationis, sed sensualitas  
 mea peruersa ipsam defugit: deoque te  
 supplex rogo, vt mihi affectum ad  
 eam desiderandam & vires ad  
 eam ferendam sug-  
 geras.

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

ECCII